

gentibus, de Josiâ immaturè sublatò dictum esse putant. Ita Hier. in c. 12 Zachariæ, ad illud: *In die illâ magnus erit plangtus in Jerusalem*; et omnes qui threnos hosce de Josiâ accipiunt. De quorum numero sunt S. Thomas, S. Bonaventura, Rabbanus in Threnorum proœmio, et Hugo, Lyra, Vatablus, Chaldæus. Quod etiam in eorum verborum explicatione mihi non improbat, atque idè in Commentariis super Threnos illius loci geminam expositionem adhibui, alteram de Josiâ, alteram de Christo. Sed ut illa de Josiâ ceciderit propheta, non puto eam esse lamentationem, de quâ modò; aliquid enim longius et majus indicatur, quàm quod eo Threnorum loco plangit Jeremias.

Porrò plangtum illum super Josiam magnum fuisse docet illud Zachariæ c. 12, v. 11: *In die illâ magnus erit plangtus in Jerusalem, sicut plangtus Adadremmon in campo Mageddon*, in quo campo cecidit Josias. Vide quid nos ad illud caput Zachariæ. Carmen illud funebre scriptum esse dicitur in lamentationibus. Crediderim antiquis Hebræorum temporibus lamentationes fuisse compositas, et in ritualibus servatas monumentis, quæ in vulgaribus, aut etiam honestioribus canerentur exequiis solemni atque legitimo ritu. Quales sunt communes illæ de quibus Jeremias c. 22, v. 18: *Non plangent eum, vae frater, et vae soror, non crepabunt eum, vae Domine, et vae inedyte*. Quæ lamentationum quarundam videntur initia illa à cognatis mortui, hæc à lamentatricibus, aut alienis iterari solita. Alia erant non communia omnium, sed aliquorum propria: quæ propter personæ dignitatem, aut verborum pondus ad dolorem et fletum servabantur à cantoribus, et nonnunquam personabant in hominum conventibus; sicut nos præclara heroum gesta aut dura principum infortunia musicis alligata numeris, aliquando concinimus. Talia videntur fuisse quæ David cecidit in morte Saülis et Jonathanæ, et in exequiis Abner, et si verum est quod tradunt Hebræi in Sederolam c. 28, hoc etiam carmen lugubre de Sedecia, cui extrema contigerunt incommoda: *Heu! qui mortuus est rex Sedecias, bibens fœces omnium ætatum*. Sic etiam carmen hoc, tum quia de Josiâ, tum propter auctoris sanctitatem servatum est in lamentationibus, et traditum cantoribus, qui illud ad lugubres numeros concinerent. Esse autem pro rerum diversitate diversos quoque cantandi modos, cum aut exhalarent, alii contrahant, alii accendant

et accuant, alii remittant et temperent animos, et ipsa docet rerum natura, et in Scripturâ apparent non obscura vestigia. Jerem. cap. 9, vers. 20, monet propheta ut ad plorandum civitatis imminenti ruinam, filias suas lamentum doceant, id est, plangendi artem et ferale canticum.

VERS. 30. — TERTIOQUE POPULUS TERRE JOACHAZ FILIUM JOSIÆ, ET UNXERUNT EUM, ET CONSTITUERUNT EUM REGEM PRO PATRE SUO. In his quæ supersunt ad finem usque libri, nihil fermè audimus, præter illa quæ Josiæ filii contigerunt, qui fermè omnes regiam obtulerunt potestatem, in eo prorsus infelices, quod omnes ignominiosè de regno depulsi sunt, et multò magis, quod à paternis moribus et disciplinâ degeneres prodiderunt religionem patriam, et ad execrandum idolorum cultum deflexerunt. Lib. Par. 1, c. 5, quatuor Josiæ numerantur filii: *Primogenitus Johanan, secundus Joacim, tertius Sedecias, quartus Sellum*. Hic porrò Sellum, qui fratrum numeratur ultimus, primus regnavit omnium. Quod omninò videtur esse certum ex Jerem. c. 22, v. 11, ubi cum loqueretur de Josiæ filii, quo tempore regnabat Joacim, et in vinculis tenebatur Joachaz, non jam ampliùs reversurus in patriam, et in solum à quo dejectus est, dixit: *Hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ regem Juda, qui regnavit pro Josiâ patre suo, qui egressus est de loco isto: Non revertetur hæc ampliùs, sed in loco, in quo transtulit eum, ibi morietur*. Vocatur etiam Jecheonias sicut alii, qui ex Josiæ genere propagati sunt, ut diximus supra, c. 14, et constat ex lib. 3 Esdræ c. 1, qui licet extra canonem sit, non tamen exiguum habet auctoritatem, ubi eadem penè quæ nunc de Joachaz numerantur verba: *Et assumentes, inquit, qui erant de gente, Jecheoniam, filium Josiæ, constituerunt regem pro Josiâ patre suo, cum esset annorum triginta trium. Et regnavit super Israel mensibus tribus. Et amovit eum rex Ægypti, ne regnaret in Hierosolymam etiam. Et constituit rex Ægypti Joakim fratrem ejus regem Judæe*. In annorum numero hic error est, nam lib. 4 Reg. non triginta trium, sed viginti trium annorum esse dicitur.

Quavis Sellum, qui et Joachaz ultimo inter fratres loco numeratur, non tamen ultimo inter fratres natus est loco, sed medius inter Joakim et Sedeciam. Primus fuit Joakim, qui et Heliacim, qui vigesimo quinto ætatis anno regnare cepit, tribus nempe mensibus post

Josiam. Secundus Joachaz, qui tertio ante Joskim mense regnum inivit, natus ipse annos viginti tres. Tertius Sedecias, qui post Joakim et Jecheoniam regnum, quod supra undecim duravit annos, regnum suscepit annos natus unum et viginti. De Johanan nihil hic dico, quia de illo nihil amplius invento quàm nomen et genus, aut quia vivente patre decessit, aut quia cum ad regni splendorem non ascenderit, vitam egit obscuram et ignobilem. Neque quicquam aggressus est ejusmodi, ut in sacros annales referri debuerit. Hæc nunc de Joachaz, de aliis suo loco nobis necessariò dicenda non pauca.

VERS. 31. — VIGINTI TRIUM ANNORUM ERAT JOACHAZ CUM REGNARE COEPISSET. CUR JOACHAZ, cum Joacimo fratre minor esset natu, prælatu lamen in regno fuerit, ea videtur verisimilis ratio, quia strenuus videbatur et acer, quique videretur contra Pharaonem potentissimum hostem tueri posse regnum, in quo videbantur intenta Ægyptiorum tela. Quod, ut statim magis explicabimus, docuit Ezechiel c. 19, sub leonis metaphora.

VERS. 32. — ET FECIT MALEM CORAM DOMINO, Juxta omnia quæ fecerant patres ejus. Non hic de Josiâ loquitur aut de Ezechia, quorum antea sanctitas gravissimis est commendata præconis; sed de Amon, Manasse et aliis, qui vitæ genere, et morum turpitudine nihilo loquendi modo religionis abjectæ, et profligati pudoris turpitudine satis significatur. Quanta verò illius fuerit in omnes crudelitas, quàm barbarus dominatus, explicuit Ezechiel optimè c. 19, v. 3, inducta leonis allegoriâ in quâ pulchrè Joachaz declaratur ingenium. Quem locum isdem verbis hæc transferemus, quibus illum in nostris Commentariis super Ezechielem explicuimus, ubi etiam de Hierosolymâ quasi de leonè egisset, subdidit statim: *Et eduxit eam de leonæis suis, et leo factus est, et didicit capere prædam, et hominem comedere*. Quem locum sic nos ibi commentabamur:

Qui hoc loco vocatur leo, est Joachaz, qui etiam vocatus est Sellum, quem populus pro Josiâ à Pharaone occiso regno preposuit. Quod sanè diturnum non fuit: nam tertio postquam regnum inierat mense, ab eodem Pharaone regno pulsus, et captivus in Ægyptum abductus est, ubi vitam egit tristem et ignobilem; eo tamen tempore, in quo cum regni potestate fuit, non avarè solum, sed etiam crudeliter et impiè vixit, ut habes

lib. 4 Reg. c. 25: *Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerunt patres ejus*. Hi verò, quorum mores imitatus fuisse dicitur, sanguinaris fuerunt, avari, et nefariis idolorum sacris impensè dediti. Attribuit autem studio atque potentie Joachaz id quod præstat leoni regius spiritus, et sitiens sanguinis furor. Fertur enim in prædam, eamque ut vestiget et capiat, agros omnes, ac sylvas aspectu suo, fremituque conturbat; atque in eam ubi primum incidit, concepit et vorat. Hæc omnia fecisse traditur Joachaz, qui ut avaritiam expleret suam aliorum opibus, sicut leo urentem rabiem alieno sanguine, prædas egit, aliorumque fortunas ad regios fastus atque usus convertit. Hoc autem est homines devorare, non tantum ex sacrorum, sed etiam ex profanorum usu, hoc quæ dicitur modo spoliatum hominem, et suis exhaustum commodis ac viribus significat. Ex profanis satis sit unus Terentius in Eunuchio: *Hunc tibi hominem comedendum et irridendum propino*. Ex sacris est illud Habacuc 3: *Qui devorat pauperem in abscondito*. Quod fecisse Joachaz, licet ex nullo alio constet loco, hoc tamen Ezechielis testimonium confirmat. Neque abest aliqua atque non levis conjectura, quia cum à populo terra, id est, à multitudine, tumultuariò fortassè rex esset appellatus, timere potuit ne quid Pharaeo victoriâ insolens in Judæos moliretur, quorum proximè regem interfecerat, et militarem potentiam ingenti ciade contriverat. Deinde, quia contra jus aut consuetudinem regni prepositus fuerat fratris ætate majoribus: atque idè non immeritò verebatur ne injuriam agent omni fratres, renque publicam dum suis student rationibus, intestinis bellis ac seditionibus turbarent. Quare ut regnum suum contra Pharaonis ac fratrum paratum vim armis atque potentia communiret, undecumque parandas sibi divitias existimavit, quæ belli nervi et pacis ornamenta sunt. Atque idè prædas egit ex suis, hominesque, eos maxime qui repugnare non audent, devoravit, et exiit sanguinem. Quo nomine vocantur divitiæ, quia his non aliter atque illo humana vita sustentatur.

VERS. 33. — VIXITQUE EUM PHARAEO NECHAO IN REBIA (1). Cùm Pharaeo, sublatò Syriæ et

(1) REBIA, vel, ut appellant Syriaci et Arabi, *Deblach*, urbs erat in Syriâ, et in terrâ Emath, vel Amasæ. Ipsissima creditur Apamea Syriæ ad Orontem, atque ita inter-

sibi ad Euphratem viam aperuisset, et rebus ex voto confectis revertetur, voluit etiam sibi subjugare Judæam, quam prius interfecto rege malè conciderat. Quare bello aggressus regem nuper assumptum Joachaz, quem tandem superavit, et è solo dejecit, non tamen sine magnâ suorum clade. Quod item expressit Ezechiel supra, versu 4: *Et audierunt de eo gentes, et non absque vulneribus suis ceperunt eum.* In quem locum sic nos ibi meditabamur:

Ille sine dubio de Ægyptiis est sermo, qui cum magnâ rem Judæicam affecissent plagâ, dominos se illius provincie arbitrabantur. Hi verò agrè tulerunt se inconsultis atque insciis, à matre leonâ, id est, à republicâ leonculum illum leonem esse factum, id est, regium obtinuisse locum et nomen, atque ideò sicut ad leonis prædam sese venatores accingant, sic contra novum regem Achaz arma quasi venatoria comparârunt Ægyptii. Quia verò ille spiritus regis, id est, leoninus imbiberat, et devoratis hominibus, quo sensu nuper explicavimus, divitiis undecumque convexerat, quibus non domesticum solum, sed etiam externum militem conduceret, strenuus se præstitit contra vim Ægyptiam, neque prius est captus quam venatorum, id est, Ægyptiorum plurimi vulnerati sunt. Hæc non ex alio loco quam ex hoc Ezechielis accidisse constat. Sanè lib. 3 Reg. c. 23, hoc solum habemus, victum fuisse à Pharaone Joachaz, et in Ægyptum fuisse translatum, ubi exul egit, et victus ad finem usque vite, ut habes ex Jeremiâ c. 22. Sed est verisimile armatum occurrisse Joachaz, quia ipse audax erat et strenuus, neque enim aliter à republicâ seu populo terræ, spreis aliis, quibus ætate ac jure videbatur inferior, renuntiatus esset rex, eo maxime tempore, quo infensum se Judæo nomini ostendebat Ægyptus. Deinde quia non est verisimile ita fuisse Pharaonem acturum in Joachaz, ut captivum apud se retineret, eoque tractaret modo, ut Jeremiâ c. 22, scripserit: *Plangite eum qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram natalitatis suæ, sed in loco ad quem transtulisti eum, ibi morietur, nisi ille contra Ægyptiorum conatus armatas Judæorum acies objecisset.*

IMPOSITUM MLCIATM TERRÆ. Fecit Pharao regionem illam sibi vectigalem, quam armis sibi iam omnino subegerat. Et quod summi juris atque imperii est, deposito priori, eoque sepretantur Chaldaeï paraphrasæ in libro Numerorum.

(Calmet.)

cum in Ægyptum abducto, regem constituit novum, quem magis sibi obsequentem fore existimabat. Reliquisset fortasse in suo ordine ac loco Joachaz, nisi illius robur esset expertus, futurumque metueret, ne constans esse nollet in servandâ fide, quam si aliquando proderet, non putabat facile ad officium et fidem revocari posse. Quare illius loco fratrem suffecit Heliacim, cui pro summâ potestate, quam in illum tunc primùm exercere placuit, nomen mutavit, et qui prius ab ortu vocatus fuerat Heliacim, eundem, detractis litteris, Joakim deinceps appellari voluit.

Ille nobis observandum, quod in eodem argumento dixi in Commentariis Jeremiæ, ad c. 1, n. 8, reges Babylonios et Ægyptios, ut de aliis sileam, ut se potestatem in alios habere significarint, nomen illis aut novum imponere, aut aliquâ ex parte mutare solitos. Quare Ægyptius alter Pharaon nomen indidit Joseph, Genesis 41; et Nabuchodonosor, qui Mathaiam Josiæ filium, Sedeciam vocavit, Danielis et sociorum ejus nomen ante mutaverat. Puto autem Heliacim nomen esse compositum ab Heli, et Joakim, et quò melior esset junctura, et sonus suavior, per Apharesim ex alterâ compositionis parte sublatum esse *io*, atque ideò cum vocandus esset Heliacim, appellatum fuisse Heliacim. Neque id novum est apud Hebræos, qui in principio syllabam aut contrahunt, aut mutant. Exemplum habemus in hoc ipso nomine: nam cum Hebraicè dicitur יואכין id est, *Jehoiachim*, nos autem unâ sublata syllabâ dicimus Joakim. Quòd verò qui Joakim, seu Joakimus dicitur, Jakim, seu Jakimus appellari sit solitus, docet Josephus lib. 20 Antiquitatum, ubi pontificem quemdam maximum Jakimum vocat, non Joakimum.

Puto item hunc Heliacim solum esse vocari *Heli*, quæ prior est pars nominis compositi, et *Joachim*, quæ posterior: idque etiam juxta Hebræorum morem, qui cum nomen alicujus proprium compositum est, alteram compositionis partem removere solent. Quo modo Jemini dicitur Benjaminita, Amon, qui Hebraicè vocatur Benami Ram, qui Abram, Salem, quæ Jerusalem, de quibus nos pluribus in caput 15 Isaiæ. Neque tantum prior pars compositionis admittitur, sed etiam aliquando posterior: 4 Regum 10, vicus qui prius vocatus fuerat, v. 12, *camera pastorum*, statim v. 13, vocatur *camera*, sicut hic ex Heliacim sublata posteriori parte, tantum

manet Heli, quæ prior est pars. Quare existimo Pharaonem non imposuisse Heliacim nomen aliquod novum, sed priorem nominis partem ademisse, vetuisseque ne jam amplius gemino vocaretur nomine; sed uno contentus esset Joacim, idque non sine causâ. Cum enim Heliacim valeat idem quod *Deus suscitabit*, vel *Deus firmabit*, noluit Pharaon subiectum sibi regem nomen habere, quod firmitatem à Deo portenderet, id est, nullâ humanâ virtute superabilem. Exemplum habemus satis accommodatum in hujus Joakim filio Jechonizæ, qui cum nomen haberet illustre, quod significat, *Dei præparationem*, seu *preparatum à Deo*, quando de illo jam exauctorato atque ignobili agitur, Jeremiæ c. 22, sublata priori syllabâ *ia*, quæ Deum sonat, *Chonias* appellatur, non Jechonias, sicut in antiquis codicibus ante legebatur, et nunc etiam in suis Commentariis legit Hieronymus. Sed est exemplum aliud non tam simile quam idem: Judith c. 4, n. 5 et 11, sacerdos magnus dicitur Heliacim, et idem c. 15, n. 9, vocatur Joacim, quia utrumque, ut reor, nomen familiare habuit. Imò et Heli vocatum esse crediderim ab alterâ parte compositi nominis, sicut etiam sacerdos alius magis vocatus est Heli, 1 Reg. c. 11.

Hinc ergo colligere posse videor, verum id esse, quod quidam è Patribus existimant de Joachim beate Virginis parente, quem vocatum esse putant etiam Heli. Cum enim Lucas c. 3 in Christi generatione describendâ ad Christi avum, Virginisque parentem descenderet, illum appellat Heli: *Et ipse Jesus erat, incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui (nempe Christus) fuit Heli.* Puto ergo Virginis parentem vocatum esse Heliacim, sive, quod idem est, Heliachim, et interdum, juxta Hebræorum consuetudinem Heli, interdum vocari solitum *Joachim*: quare quem alii Joachim, Lucas appellavit Heli, et in re usque adeò implexâ atque difficilî, non mea mihi displicet conjectura (1).

(1) VERS. 34. — REGEM CONSTITUIT ELIACIM... VERTITQUE NOMEN EJUS JOAKIM. Mutatio hæc nominum argumentum erat domini regis Ægyptii in regem Judæ, quem constituebat seu vicibus regis Iugentem, vel potius ut regem subditum et tributarium. Imperavit autem tributum centum talentorum argenti, et auri decem. Occurrit inferius Nabuchodonosor rex Babylonie, vertens nomen *Mathania* in *Sedeciam*, illum in solio Hierosolymæ constituens. Idem alia nomina indidit Danieli, Ananiz, Micaeli, et Azaria, cum servitus suis illos addidit.

VERS. 35. — ET UNDUCUMQUE JUXTA VIRES SUAS EXIGIT, TAM ARGENTEM QUAM AURUM. Non dubitavit Joachim alteram sui nominis partem deleri, et imposita dependi tributa, dummodo regium obtineret nomen, quod annuente Pharaone susceperat. Quare populo quod necesse erat, si modò servanda esset obligata fides, tributum indixit, non quidem per capita, in quo aliquid apparebat iniquitatis, sed juxta jusque facultatem et censum, quæ ratio æquior fuit, et cum minori subditorum offensione.

VERS. 37. — ET FECIT MALEM CORAM DORINO JUXTA OMNIA QUÆ PECEBANT PATRES EJUS. Nihilò fuit melior Joakim, quam fuerat, qui modò à regno cecidit Joachaz. Quod paucis verbis complexus est hoc loco sacer historicus, id pluribus explicuit Jeremiâ c. 22, à v. 13, ubi illa scelerato principi adscribuntur peccata, quæ sine aliis quam plurimis reperiri non solent; nempe avaritia, ambitio, fraus, calumnia, vis et crudelitas. *Væ* (inquit Jeremiâ de Joakim) *qui edificat domum suam in injustitiâ, et convivia sua non in iudicio; amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei.* Et ibidem, v. 17: *Tui verò oculi et cor ad avaritiam et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad cadumque, et ad cursum mali operis.* Hæc nos pluribus in hujus loci commentariis explicuimus.

Neque solum in homines crudelis et avarus fuit Joakim, sed abjuratâ religione patriâ, in Deum quoque fuit sceleratus et impius. Nam, ut refert Hieronymus in Traditionibus Hebr. super Par., Historia Scholastica lib. 4 Reg. c. 59, neque improbat Abulensis in c. 25 lib. 4 Reg. q. 59, et Lyra in locum Par. de quo statim, cum occisus esset Joakim, in ejus corpore inventa sunt quedam inusta stigmata, quibus religionis desertæ testimonium inerat, nomen videlicet dæmonis illius quem colchat, qui vocabatur Codonazer. Cujus rei aliquid in Scripturâ sacrâ vestigium apparet. Lib. etenim 2 Par. c. 36, v. 8, hæc de Joakim habemus. *Reliqua autem verborum Joakim, et abominaciones ejus, et quæ inventa sunt in eo, continentur in libro Regum Juda.* Neque novum est, aut rarum, ut homines in corpore ferant impressa signa, quorum se religioni consecraverunt: in transmariis regionibus, quas hoc nostro seculo aperuerunt Hispani, plurima habemus exempla. Et lib. 3 Machabeorum c.

Eodem imperii jure usus est Pharaon rex Ægyptii in Josephum, quem in amplissimum dignitatem adscivit. (Calmet.)

2. his qui ex Iudæo populo à patria religione defecerunt, pro stigmatè in corpore insignè Bacchi hederaceum folium inurebatur. Est quidem liber ille non canonicus, suo tamen pondere non caret. Sed est exemplum accomodatissimum maxime Apoc. c. 13, v. 16, ubi qui Antichristo seipsum tradiderant, characterem

CAPUT XXIV.

1. In diebus ejus, ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, et factus est ei Joachin servus tribus annis; et rursùm rebellavit contra eum.

2. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldeorum, et latrunculos Syriæ, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon, et misit eos in Judam, ut disperderent eum, juxta verbum Domini quod locutus fuerat per servos suos prophetas.

3. Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit.

4. Et propter sanguinem innoxium quem effudit, et implevit Jerusalem cruore innocentium; et ob hanc rem noluit Dominus propitiari.

5. Reliqua autem sermonum Joachin, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum dierum regum Juda? Et dormivit Joachin cum patribus suis:

6. Et regnavit Joachin filius ejus pro eo.

7. Et ultra non addidit rex Ægypti ut egrederetur de terrâ suâ; tulerat enim rex Babylonis, à rivo Ægypti usque ad fluvium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti.

8. Decem et octo annorum erat Joachin, cum regnare cepisset; et tribus mensibus regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Nohesta, filia Elnathan, de Jerusalem.

9. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

10. In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor, regis Babylonis, in Jerusalem, et circumdata est urbs munitionibus.

ipsius illaturi dicuntur in dexterâ aut in frontibus, utique innotum, aut alio modo indelebiter impressum: *Et faciat omnes puillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem in dexterâ manu suâ aut in frontibus suis.*

CHAPITRE XXIV.

1. En ses jours, Nabuchodonosor, roi de Babylone, marcha contre Juda; et Joachin lui fut assujéti pendant trois ans; et après cela il se révolta contre lui.

2. Alors le Seigneur envoya des troupes de voleurs de Chaldée, de Syrie, de Moab et des enfans d'Ammon, et les fit venir contre Juda pour l'exterminer, selon la parole que le Seigneur avait dite par les prophètes, ses serviteurs.

3. Ceci arriva en vertu de la parole du Seigneur contre Juda, afin de le rejeter de devant sa face, à cause de tous les crimes que Manassès avait commis.

4. Et à cause du sang innocent qu'il avait répandu, car il remplit Jerusalem du sang des innocents; c'est pourquoi le Seigneur ne voulut point se rendre propice à son peuple.

5. Le reste des actions de Joachin, et tout ce qu'il a fait, est écrit au livre des Annales des rois de Juda. Et Joachin s'endormit avec ses pères.

6. Et Joachin, son fils, régna en sa place.

7. Le roi d'Égypte depuis ce temps-là ne sortit plus de son royaume, parce que le roi de Babylone avait emporté tout ce qui était au roi d'Égypte, depuis les frontières de l'Égypte jusqu'au fleuve de l'Euphrate.

8. Joachin avait dix-huit ans lorsqu'il commença de régner; et il régna trois mois à Jerusalem. Sa mère s'appelait Nohesta, et était fille d'Elnathan de Jerusalem.

9. Il fit le mal devant le Seigneur, selon tout ce qu'avait fait son père.

10. En ce temps-là, les serviteurs du roi de Babylone vinrent assiéger Jerusalem, et firent une circonvallation autour de la ville;

11. Venitque Nabuchodonosor, rex Babylonis, ad civitatem, cum servis suis, ut oppugnarent eam.

12. Egressusque est Joachin, rex Juda, ad regem Babylonis, ipse et mater ejus, et servi ejus, et principes ejus, et eunuchi ejus; et suscepit eum rex Babylonis, anno octavo regni sui.

13. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regis; et incidit universa vasa aurea quæ fecerat Salomon, rex Israel, in templo Domini, juxta verbum Domini.

14. Et transtulit omnem Jerusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus decem millia, in captivatem, et omnem artificem et clusorem; nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.

15. Transtulit quoque Joachin Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos ejus; et judicæ terræ duxit in captivatem de Jerusalem in Babylonem;

16. Et omnes viros robustos, septem millia, et artifices et clusores mille, omnes viros fortes et bellatores: duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem.

17. Et constituit Mathaniam patrum ejus pro eo, imposuitque nomen ei Sedeciam.

18. Vigesimo et primo annu atatis habebat Sedecias, cum regnare cepisset; et undecim annis regnavit, in Jerusalem. Nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremias de Lobnâ.

19. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joachin.

20. Irascatur enim Dominus contra Jerusalem et contra Judam, donec projeceret eos à facie suâ: recessitque Sedecias à rege Babylonis.

COMMENTARIUM.

VERS. 1. — IN DIEBUS EJUS ASCENDIT NABUCHODONOSOR, REX BABYLONIS, ET FACTUS EST EI JOACHIN SERVUS TRIBUS ANNIS. Brevi hoc loco absolvitur Joachimi historia, cum tamen plura illi à rege Babylonis incommoda contigerint, quæ ab aliis Scripturæ locis hinc advocanda sunt. Quoto anno Nabuchodonosor ad Hiero-

41. Et Nabuchodonosor, roi de Babylone, vint aussi avec ses serviteurs pour prendre la ville.

12. Et Joachin, roi de Juda, sortit vers le roi de Babylone avec sa mère, ses serviteurs, ses princes et ses eunuques, et le roi de Babylone le reçut, la huitième année de son règne.

13. Et il emporta de Jérusalem tous les trésors de la maison du Seigneur et ceux du palais du roi; il brisa tous les vases d'or que Salomon, roi d'Israël, avait faits dans le temple du Seigneur, selon ce que le Seigneur avait prédit.

14. Il transféra les principaux de Jérusalem, tous les princes, tous les vaillants de l'armée, au nombre de dix mille captifs; il emmena aussi tous les artisans et les lapidaires, et il ne laissa que les plus pauvres d'entre le peuple.

15. Il transféra aussi à Babylone Joachin, la mère du roi, les femmes du roi et ses eunuques; et il emmena captifs de Jérusalem à Babylone, les juges du pays.

16. Le roi de Babylone emmena tous les plus vaillants de Juda, au nombre de sept mille, les artisans et les lapidaires, au nombre de mille, tous les hommes de cœur et les gens de guerre, et il les emmena captifs à Babylone.

17. Il établit en la place de Joachin Mathanias, son oncle, et l'appela Sédécias.

18. Sédécias avait vingt-un ans lorsqu'il commença de régner; et il régna onze ans à Jérusalem. Sa mère s'appelait Amital, et était fille de Jérémie de Lobnâ.

19. Il fit le mal devant le Seigneur, selon tout ce qu'avait fait Joachin;

20. Car la colère du Seigneur s'augmentait toujours contre Jérusalem et contre Juda, jusqu'à ce qu'il les rejetât de devant sa face. Et Sédécias, dès la huitième année de son règne, se retira de l'obéissance qu'il rendait au roi de Babylone.

solyman primùm appulerit, eamque sua potestate subjecerit, habemus c. 4 Danielis v. 1, ubi Nabuchodonosor venisse dicitur in Jerusalem anno tertio regni Joachin. At Jeremie c. 25, v. 1, venisse traditur, aut saltem indicatur anno 4 Joachimi, et primo imperii sui. Ubi duo occurrunt nodi, quos prius expedit-